

(f. 28Iv) INCIPIT QUARTUS LIBER


CAPITULUM I. DE ORIGINE REGNI DAVID REGIS ISRAEL

Regnum David cum etate quarta simul inchoaverunt. Cepit autem regnare secundum quod dicit Vicentius in Speculo anno mundi MMVIII^CLXXXVIII, anno nativitat^{is} Habraee VIII^CXLI, ab exitu Israel de Egipto CCCCXXXVI, post conditum Mediolanum anno VIII^CXLI. Et regnavit David in Ebron civitate in tribu Iuda annis VII, sed Abner, qui fuerat princeps exercitus Saulis regis et eius consanguineus germanus, tulit Ysboseth claudum utroque pede, filium Ionathe filii Saulis, et inunxit eum in regem super reliquas tribus. Erat tunc Ysboseth claudus annorum XL, et regnavit super Israel annis duobus. Tunc duo ex filiis Begniamin, scilicet Baana et Rechab, capud Ysboseth dormientis absciderunt et regi David atullerunt; quos rex David interfici iussit. Tunc omnes XII tribus Israel ad ipsum accesserunt in civitate Ebron et ipsum instituerunt regem super universum Israel. Qui venit in Ierusalem, et expulsis Iebuseis ipsam communivit; et dicta est civitas David. Et regnavit super Israel annis XXXIII; quibus adiunctis aliis VII, quibus regnavit in Ebron, regnavit in universo annis XL.

II. GENERATIO DAVID ET DE ABSALON FILIO EIUS

Genus autem David tale fuit, quia de Habraam per lineam Iude (unde tribus Iuda est dicta) per multas intermedias generationes natus est vir dictus Obeth, qui ex Ruth genuit Ysay sive Iesse, patrem David, sicut in subiecta patet figura.

I – 12. Ysboseth : Ysbosoth B 17. Israel : Isral B



(f. 282r) Inter alios filios regis David unus dictus est Absalon, quem ipse genuit de uxore sua dicta Machaa, filia Ptholomei regis Asur sive Gesur. Hic Absalon fuit vir pulcerrimus in omni speciositate et corporis magnitudine, qui habuit tantos capilos quod vix VIII diebus tonderetur, et erat tonsura eius pondus CC syculorum, qui fatiunt V mnas. Fuitque eius soror ex utroque parente nomine Thamar que omnes mulieres sua precelleret spetiositate. Hanc Amon frater eius maior violenter oppressit; et ob hoc Absalon ipsum interfecit et contra patrem insurgens regnum usurpavit et patrem de regno fugavit. Qui post pauca interfectus, pater in suo regno restitutus est.

III. DE SALOMONE QUI ELLECTUS FUIT IN REGEM, ET MORTE DAVID

Alium filium genuit rex David de Bersabee uxore Urie, qui dictus est Salomon. Hunc rex David inungi precepit in regem, et iterum celebrans solempnitatem ipsum Salomonem secunda vice inungi iussit in regem; et posuit eum super solium regium, et coram aliis fratribus suis declaravit ipsum a Deo fuisse ellectum in regem, qui deberet templum 5
construi Domino in Ierusalem. Deinde cum David regnasset annis XL, mortuus est et cum honore mirabili sepultus est in Yerusalem.

III. DE SILVIO LATINO REGE YTALIE

Eodem tempore secundum Magistrum in Ystoriis in Ytalia regnabat Silvius Eneas Latinus in regno Latinorum et Laurentum; et secundum Vicentium et Eusebium hic Latinus cepit regnare ante Christi nativitatem anno MLXXXVIII, post Troye destructionem anno CV, et regnavit in regno Latinorum annis L. Et de isto rege dicit Tytuslivius quod aliquas colonias, id est civitates, deduxit, et genuit filium qui dictus est Latinus Alba Silvius. In cuius tempore regnum Latinorum finitum fuit, et fuit translatum ad Albanos, et dictum est regnum Albanorum, ut infra dicitur. Tunc fuerunt ista duo regna unita. 10

V. DE BRUTO REGE CAMPANIE, QUOMODO FUIT DE REGNO EXPULSUS

Isto tempore in regno Campanie regnabat Silvius supradictus. Isti regi predixerunt dii eius quod deberet generare filium qui interficeret patrem et matrem. 5

Hic rex Silvius furtive nupsit cuidam nepti Lavinie regine, que dicta est Amata, et genuit filiam que dicta est Roma Iunior. Item genuit filium qui dictus est Brutus. Hic dum nasceretur, mater mortua est, et factus annorum XV patrem casu sagita perfodit: propter quod factus exosus concto populo de regno suo fuit eiectus, et Roma soror eius regnavit in regno Campanie. Brutus cum magna multitudine Ytalorum et cum Turno nepote suo, quo nullus in mundo inventus fuit fortior vel maioris audacie, exiens de Ytalia perrexit in Gretiam, ubi // (f. 282v) 10

III – 7. deduxit : destruxit B

15 invenit plus quam XII^M Trojanorum qui descenderant de Heleno filio
 Priami. Et recordatus rex Brutus quod essent Troyani sicut et ipse, eos
 liberavit de servitute et factus est ipsorum rex et princeps, et pugnavit
 cum Pranso rege Gretie et superavit ipsum. Et tandem facta concordia,
 accepit filiam regis Pransi in uxorem que dicta fuit Ynogen, de qua
 20 genuit filium qui dictus est Locrinus, qui postea fuit rex Anglie. Et
 acceptis ab ipso rege Pranso CCCXXIII navibus pervenit ad quandam
 insulam que dicitur Leontia, ubi dii dixerunt quod <in> insula dicta
 Albyon sive Anglia esset regnaturus. Quo audito per XXX dies naviga-
 vit et pervenit in Affricam, et totam provintiam Mauritaniam devasta-
 vit. Postea pervenit ad insulam Gades, ubi sunt columpne Herculis, ubi
 25 mulieres monstruose dicte syrenes in maximo numero in mari aparue-
 runt; que multas naves submerserunt et maxima dampna intulerunt.

VI. DE CORINEO SOCIO BRUTI, QUI FUIT DUX CORNUBIE; ET DE CIVITATE TURONIS

5 Circa partes illius insule ubi sunt columpne Herculis, rex Brutus
 invenit quendam virum Trojanum qui dictus est Corineus, qui fuit tan-
 te fortitudinis quod indifferenter gygantes maximos pugno ad terram
 prosterneret; et istum quia Trojanus erat secum aduxit, et plures alios
 Troyanos quos ibidem reperit. De columpnis Herculis rex Brutus ivit
 in partem illam Galliarum que dicitur Aquitania, et omnia igne et fer-
 ro devastabat. Tunc XII reges genere Galici cum mirabili exercitu arma
 10 paraverunt, et comissa fuit pugna fortis; et Turnus Ytalicus Bruti regis
 nepos in ipso bello VI^C Gallos gladio trucidavit et tandem et ipse inter-
 fectus fuit. Et ob honorem eius rex Brutus in loco pugne civitatem con-
 struxit, quam ex nomine Turni Turonis appellavit.

VII. DE CIVITATE TURONIS

5 Christi ante nativitatem anno MXII, ante Romam anno CCLX, post
 conditum Mediolanum VIII^CXLI, regnante in Pictavia Lugdunensis
 Gallie Gualfredo rege Galie, Brutus cum Brutoniorum gente quam de
 Ytalia adduxerat, cum Turno nepote suo et Coroneo fratre suo Galliam

V – 21. in *supplevi*

ingressus multa prelia movit. Contra quem Gualfredus cum aliis XI regibus Galliarum occurrit, ubi mortuus fuit Turnus; et in ripa fluminis Legerim civitatem construxit quam Turonis nominavit, ubi est sedes archiepiscopalis habens XI suffraganeos, ubi beatus Martinus dormit et turonenses de argento cuduntur.

10

VIII. QUOD BRUTUS OPTINUIT REGNUM ANGLIE; ET DE CIVITATE DICTA TROYA NOVA

Christi ante nativitatem MXI annis, ante Romam CCLVIII, Brutus Ytalicus rex Campanie, cum uxore sua regina Ynogen et filio suo Locrino et Corineo viro fortissimo et // (f. 283r) cum magno apparatu navium, de Gallia navigavit in insulam dictam Albyon, que erat plena gygantibus, quorum rex dictus est Gromagog, gygas XII cubitorum; et comissa fuit pugna inter Ytalicos et gygantes, et prevaluerunt Ytalici. Et tunc Brutus Ytalicus factus est rex insule quam ex suo nomine vocavit Brutaniam sive Britaniam, quam nunc dicimus Angliam. Et genuit tres filios quorum nomina sunt hec: Locrinus, Albanicus et Kalamer. Et tunc rex Brutus super flumen dictum Camesen construxit civitatem quam Troyam Novam appellavit, que nunc dicitur Trinovatum. Et tunc Corineus virorum fortissimus in insula terram possedit, quam ex suo nomine Cornubiam appellavit, de qua natus fuit Tristant, miles nobilissimus.

5

10

15

VIII. DE MORTE BRUTI REGIS ANGLIE ET DE CIVITATE EUBRACI

Rex Brutus, videns se morti propinquum, totum suum regnum tribus filiis suis condidit: quia Locrinus filius eius primogenitus tenuit terram que dicitur Loegeria et tenuit regni coronam; filius secundogenitus dictus Albanicus tenuit terram que dicitur Scotia; tertio genitus dictus Kallamer habuit terram que dicitur Gualia. Et cum regnasset Brutus in Anglia annis XXIII mortuus est, et regnavit Locrinus filius eius pro eo. Ipse duxit in uxorem Glondoneam filiam Corinei ducis Cornubie, de qua genuit filium qui dictus est Mandan, qui genuit filium qui dictus est Menpricius, qui genuit filium qui dictus est Eubrachus, qui condidit civitatem quam ex suo nomine Eubracum nominavit.


5

10

VII – 10. turonenses : turonense B

X. DE EUBRACO REGE ANGLIE ET DE CIVITATE EUBRACI

Eubracus rex Britanie sive Anglie habuit XX uxores reginas, ex quibus genuit XX filios et XXX filias. Primogenitus dictus est Brutus Viride Scutum, qui regnavit post patrem. Omnes XXX filias misit in Ytaliā ad Silvium Albam regem Ytalie consobrinum suum, qui ipsas diversis regibus Ytalie et principibus matrimonio copulavit. Genus Bruti in subiecta patet figura.



// (f. 283v) XI. DE CIVITATE CARTHAGINE, ET QUOD FUERUNT V CARTHAGINES

Isto tempore, secundum Vicentium et Magistrum in Ystoriis, Carthago civitas condita fuit in Affrica a Calcedone Tyro vel a Didone eius filia. Sed hic oritur questio gravis quia dicitur quod Dydo construxit Carthaginem ante Troye destructionem, et quod Eneas ivit in Carthaginem. Et quomodo ergo potuit construi civitas Carthago tempore David, qui fuit post Troye destructionem annis CV et plus? Ista autem questio faciliter solvitur si intelligantur que scripta sunt supra, libro tertio capitulo CLXX, ubi habetur quod fuerunt V Carthagines et cetera. 5 10

XII. DE REGNO SALOMONIS REGIS ISRAEL ET IERUSALEM, ET DE GLORIA ARMORUM EIUS

Regni David sive etatis quarte anno XLI, mundi anno II^MVIII^C-LXX, ab exitu Israel de Egipto CCCCLXXVI, a nativitate Habraee anno VIII^CLXXXI, a condito Mediolano anno VIII^CLXXXI, Salomon quintogenitus regis David factus rex in Yerusalem regnavit annis XL. Hic duxit uxorem adhuc parvulus filiam pharaonis regis Egipti de qua, cum adhuc esset annorum XI, genuit filium. Preter hanc duxit VII^C reginas filias principum nobilissimorum, et insuper alias habuit concubinas CCC et alias iuvenulas puellas, quarum non erat numerus. Et genuit duas filias: prima dicta est Besemath, quam tradidit in uxorem Achime prefecto; alteram duxit alter prefectus Salomonis. Item ex uxore dicta Neoniam Amanitide genuit filium qui dictus est Roboan. Habuit similiter rex Salomon XII^M destrarios, et dicit Iosephus quod habuit tantam multitudinem curruum pro uehendis uxoribus et reliqua familia, ut essent LX^M presepia equorum subiugalium. Habuit etiam lanceas CC ex auro purissimo, et pletas ex auro fecit CCC et scuta aurea CC, et in quolibet scuto erant VI^C siculi aurei. Et rex quando progrediebatur de loco ad locum, famuli eius huius deferebant arma; et erant iuvenes flavi usque ad sellas equorum diffundentes cesariem, suis comis aditantes auri tincturam, ut ipsorum capita radiis solis reperi- 5 10 15 20

XII – 17. pletas, *recte* peltas 19. huius : *an in huiusmodi corrigendum?*

sa irradiarent omnes partes circumstantes. Hos sequebatur rex Salomon vectus in curru et alba veste indutus. Quid plura? Tempore Salomonis facta est tanta copia argenti quanta et lapidum; et Iosephus dicit quod
 25 argenti fecit tantam copiam habundare, quanti erant et lapides.

XIII. DE SAPIENTIA SALOMONIS

Dedit quoque Deus regi Salomoni tantam sapientiam, ut precederet omnes Hebreos et Egiptios et omnes orientales. Ipse conscripsit librum de canticis et modulationibus, numero versium V^M, et parabolarum
 5 atque similitudinum fecit libros III^M. Adinvenit facere adiurationes quibus infirmi curabantur, et fecit karacteres quibus demones fugabantur, qui gemmis impositi et naribus demoniacorum adiuncti curabantur. Item disputavit de omnibus arboribus a cedro usque ad ysopum, et de omnibus avibus // (*f. 284r*) et piscibus et animalibus. Et dicit Iosephus
 10 quod nullius rei naturam ignoravit aut inexaminatam preteriit. Et ut eius magnificentie nullus umquam potuerit comparari, secundum quod dicit Iosephus quod ipse fecit mensam auream super quam panes Dei ponebantur, et alias mensas fecit X^M in quibus ponebantur phyale et pathere, aurea quidem X^M et argentea XL^M, et candeleva X^M. Item
 15 fecit vasa fusilia vini LXXX^M et phialas aureas X^M et phyalas argenteas XX^M. Item fecit patheras aureas ad offerendam similam LXXX^M et argentea in duplici numero. Item fecit crateras aureas in quibus fermentabatur simila cum oleo LX^M et argenteas in duplici numero. Item fecit turribula aurea ad offerendum incensum XX^M. Item ad offerendum ignem fecit turribula L^M. Item fecit stollas pontificales cum gemis
 20 M et sacerdotales X^M. Item instituit tubas CC^M, stollas levitarum ex bisso CC^M. Item fecit instrumenta musica et cytharas ex ellectro XL^M. Hoc vasorum numerum Magister in Ystoriis ponere ausus non fuit quia incredibilia esse videntur; tamen ita fuit rei veritas.

23. indutus : inductus B

XIII – 10. preteriit : pretereit B 17. fermentabatur : frementabatur B

XIII. DE TEMPLO SALOMONIS, ET VITIIS ET MORTE

Hedificavit insuper rex Salomon templum habens in longitudine cubitos LX, in latitudine cubitos XX, in altitudine cubitos XXX. Et vestivit templum interius laminis aureis quibus infixi erant clavi aurei, et quilibet clavus habuit L siculos auri. Et dicit Iosephus quod fecit domum regiam cohoptam auro et argento per parietes interius, et cameras quarum parietes erant vestiti auro purissimo et fulgenti sicut et templum. Instituit veridaria seu poemeria cum uvis aureis, et tam plura alia stupenda fecit opera, qualia nullus ante ipsum fecit nec facturum sit.

Nec tantus vir vitiis caruit, quia propter uxorum libidinem ydola adoravit et tria templa ydolis extruxit: propter quod igni inferni traditus fuit, ut dicit Agustinus, licet Hebrei dicant quod fecit de peccato suo publicam penitentiam. Vixit autem rex Salomon annis L et regnavit annis XL. Sed Iosephus dicit quod vixit annis LXXXVIII et regnavit annis LXXX.

XV. DE ALBA SILVIO REGE YTALIE

Christi ante nativitatem anno MXXXVIII, ante urbem conditam Romam CCXXVIII, post Troye destructionem CLV, Latinus Alba Silvius civitatem Albam Longam amplificavit et, expulsis posteris Aschanii Ylii Iulii, ibidem sedem suam posuit et regnum Laurentum cum regno Albanorum sub una corona conclusit. Et sublato nomine regni Laurentum rex Albanensium dictus fuit; unde dicit Augustinus libro XVI De Civitate Dei quod ex tunc non sunt dicti reges Latini, sed reges Albanenses, in eodem tamen Latio. Et dicit Tytuslivius quod iste Latinus Alba Silvius genuit filium qui dictus est Egiptus sive Athis. Et cum regnasset Latinus Alba Silvius annis XXXVIII, mortuus est; cui successit Egiptus // (f. 284v) Silvius filius eius.

Auctores non videntur distinguere inter istam Albam et Albam Longam, et forte ista fuit causa quia Aschanus Albam Longam condidit, et

15 iste rex Alba ipsam instauravit. De civitate Alba Longa habetur supra libro tertio capitulo CCXVIII. De Alba Pedemontis habetur supra libro tertio capitulo CXLV. Civitas etiam Mediolani dicta fuit Alba.

XVI. DE ROBOAM REGE IUDA

Regni Davit sive etatis quarte anno LXXXI, mundi anno II^MVIII^C-LXXXVII, Habrae anno MXXX, a condito Mediolano anno VIII^CXXX, Roboam filius Salomonis, regno in duas partes diviso,
 5 regnavit super duas tribus, scilicet Iudam et Begniamin, annis XVII. Hic duxit uxorem cognatam suam, de qua genuit tres filios; qua mortua duxit uxorem que dicta est Machaa, que fuit filia Thamar filie Absalon, de qua genuit filium qui dictus est Abia rex Iuda. Habuit autem rex Roboam uxores XVIII et concubinas XXX, et genuit XXVIII filios et
 10 LX filias. Instituit enim regni sui successorem Abiam filium suum.

XVII. DE IEROBOAM REGE ISRAEL

Contra istum regem Roboam filium Salomonis insurrexit servus eius dictus Ieroboam, qui optinuit X tribus et dictus est rex Israel, et Roboam dictus est rex Iuda. Contra Roboam regem Iuda venit Sysoch
 5 rex Egipti habens currus MCC et equites LX^M et pedites CCCC^M, et intravit civitatem Ierusalem et abstulit omnia vasa templi et lanzeas et scuta aurea que fecerat rex Salomon; et hoc iusto Dei iuditio, quia Iudas fecerat statuas et aras et lucos super excelsa, et Israel adoravit duos vitulos aureos, et effeminati (id est cultores dee Cybelles) erant in terra. Et
 10 dicunt Hebrei quod super civitatem Ierusalem non volavit avis per annos LII, unde Iudei fere desperati fuerunt. Mortuus est autem rex Roboam cum regnasset in Ierusalem annis XVII, et regnavit Abyas filius eius pro eo.

XVIII. DE EGIPTO SILVIO REGE YTALIE

Christi ante nativitatem anno VIII^CLXXXXVIII, ante Romam anno CCXLVIII, post Troye destructionem CLXXXXIII, in regno Albanorum Ytalie regnavit Egiptus Silvius, qui dictus est Athis Silvius,
 5 regnavit annis XXXIII. Hic genuit filium qui dictus est Capis Silvius.

XIX. DE ABYA REGE YERUSALEM

Regni David sive etatis quarte anno LXXXXVIII, mundi anno II^MVIII^CLXXXX, anno nativitat^{is} Habraee MXLVII, post conditum Mediolanum VIII^CXLVII, Abyas, qui et Abya, regis Roboam filius regnavit annis tribus. Hunc propter etatem puerillem Ieroboam rex Israel despexit et contra ipsum exercitum paravit, et comissa est pugna maxima nimis; et prevaluit rex Abyas, et ceciderunt de exercitu Ieroboam plusquam V^{CM} virorum, et optinuit rex Abias multas // (285r) civitates fortissimas ex hostibus et predam multam nimis. Et post modicum tempus obit rex Abias, cui succedit Asaph filius eius.

XX. DE ASSA REGE IERUSALEM

Regni David sive etatis quarte anno CI, mundi anno II^MVIII^CLXXXXIII, anno nativitat^{is} Habrae ML, a condito Mediolano anno VIII^CL, Asaph, qui et Assa, filius regis Abye regnavit annis XLI. Hic ex uxore dicta Abyda genuit filium qui dictus est Iosaphat. Hic fuit vir iustus coram Domino: ipse amovit Maacham matrem suam ne esset princeps in sacris Priapi et subvertit specum Priapi, quia propter sui turpitudinem non habuit templum. Item abstulit effeminatos cultores dee Cibelles de terra et sordes ydolorum; excelsa tamen non abstulit. Et anno regni eius decimo, Zareas rex Ethiope <egressus est> cum X^M militum, peditum vero LXXXX^M et currus CCC, quos omnes rex Asaph bello superavit et eorum spolia tullit. Anno secundo regni Asaph regis Iuda, mortuus est Ieroboam rex Israel, cui successit Nadab filius eius et regnavit annis duobus; quo mortuo cum tota domo sua, regnavit Baasa in Tera civitate annis XXIII; quo mortuo regnavit Zambri in Tera diebus VII; post quem regnavit Amri; post quem regnavit Achab XII annis, cuius uxor, dicta Iezabel, persecuta fuit Heliam prophetam, propter quod non pluit super terram annis tribus cum dimidio.

XX – 3. nativitat^{is} : nativitas B 5. Iosaphat : Iosaphat B 7. turpitudinem : turpidinem B 10. egressus est *supplevi iuxta II Chron. 14, 9* 11. currus : *an in currum corrigendum?* 13. Ieroboam rex : rex Ieroboam rex B

XXI. DE CAPIS SILVIO REGE YTALIE

Christi ante nativitatem anno VIII^CLXXV, ante Romam anno CCXXX, post Troye destructionem CCXXVIII, in Ytalia in regno Albanorum regnabat Capis Silvius annis XXVIII. Ipse enim secundum Eusebium et Paulum in provintia Campanie condidit civitatem quam ex suo nomine Capuam appellavit. Quo mortuo regnavit Carpentis filius eius pro eo.

XXII. DE CIVITATE CAPUA

Civitas Capua, dicta a Capi rege ipsius fundatore, secundum aliquos dicta est a capiando, eo quod omnem vite fructum capiat, et ab ipsa tota provintia nomen accepit. Et dicit Detius Magnus Auxonius quod ista civitas tenet octavum locum inter nobiles mundi civitates.

XXIII. DE CIVITATE SANIS IN INSULA MARI EGEI

In mari Egeo est insula dicta Sania. In ista insula est quedam civitas dicta Samus, quam secundum Ysidorum condidit Ageus filius Ligurgi anno nativitatem Habraee MXXXVII. In hac civitate nata est una sibilla dicta Sibilla Saprenia, similiter et Pythagoras, dictus Saprenus Pythagoras. Est etiam in Ytalia civitas dicta Saprenium, id est Beneventum, de qua supra dictum est.

XXIII. DE IOSAPHATH REGE YERUSALEM

Regni David sive etatis quarte anno CXLII, mundi anno III^MLVI, anno // (f. 285v) nativitatibus Habraee MLXXXI, a condito Mediolano VIII^CLXXXI, Iosaphath filius Asaph regis regnavit in Iuda annis XXV. Hic fuit iustus et pius, cui circumstantes reges tributa donabant (scilicet Palestini et Arabes), leges Moysi optime servari iussit, effeminatos de terra delevit, verumtamen excelsa non abstulit. Porro Amonite et Moabite et Arabum legiones multe nimis contra Iosaphath regem exercitum moverunt, quos omnes rex Iosaphath superavit. Qui moriens honorifice sepultus est. Et dicit Iosephus quod reliquid filios multos; et successit ei in regno Ioram filius eius.

XXIII – 2. est quedam *bis scriptum in B*

XXV. DE ACHAB REGE ISRAEL, ET IEZABEL; ET RAPTU HELIE

Eo tempore super Israel regnabat Achab annis XXII. Eius uxor dicta est Iezabel, filia regis Sydoniorum, cuius ortatu construxit in Samaria templum et altare ydolo Baal, et adoravit ipsum. Propter quod Helias propheta ei predixit quod non plueret super terram annis <<...>> cum dimidio. Qui fugit ad ripam torrentis Iordanis ubi corvus eum pavit; qui inde surgens perrexit in parvam civitatem que dicitur Sarepta, ubi multiplicavit in domo vidue farinam et oleum eiusque <filium> Ionam prophetam mortuum resuscitavit. Deinde pluviam de celo impetravit, et CCCCL sacerdotes ydolorum interfecit. Ex quo turbata regina Iezabel ipsum ubique persequi iussit. Qui fugit in Oreb, postea venit Damascus, ubi precepit ei Deus quod inungeret Azael in regem super Syriam, et Hyeu regem super Ysrael, et Helyseum in prophetam inungeret. Porro Achab rex vineam Naboth viri iusti abstulit et morte ipsum consumpsit. Filius quoque eius Ochozias dum infirmaretur deum Belzebuth consuluit. Tunc Helyas propheta raptus est in celum sive paradixum terrestrem, et Helyseus propheta tunc claruit.

XXVI. DE CARPENTI SILVIO REGE YTALIE

Christi ante nativitatem anno VIII^CXLVII, ante Romam conditam anno CLXXXVII, post Troye destructionem anno CCXLVI, Carpentis Silvius regnavit in Ytalia in regno Albanorum annis XIII. Qui genuit filium qui dictus est Tyberinus Silvius; hic Tyberinus Silvius cepit regnare ante Christi nativitatem anno VIII^CXIII, ante Romam anno CCLVIII, post Troyam anno CCXXVIII, et regnavit in regno Albanorum annis XIII. Qui genuit filium qui dictus est Tyberinus Silvius. Hic Tiberinus Silvius cepit regnare ante Christi nativitatem anno VIII^CXIII, ante Romam anno CCLVIII, post Troyam anno CCXXVIII, et regnavit in regno Albanorum annis VIII. Hic in fluvio Albula submersus fluvio nomen suum accomodavit, qui dictus est fluvius Tyberis. De isto Tyberino rege Vicentius in Speculo nullam facit

XXV – 5. post annis spatium vacuum relictum in B; liber Regum et Petrus Comestor tacent numerum 8. filium supplevi

mentionem. De isto rege Tyberino natus est Agrippa Silvius rex Albanorum.

XXVII. INCIDENTIA TEMPORUM CIRCA TEMPORA IOSAPHATH REGIS IUDA

Isto tempore in Thuscia Superiore que nunc dicitur planum Lombardie, in civitate dicta Callabria, id est Mediolano, regnabat quidam rex dictus Iullius. // (f. 286r) In provincia Panonia, id est Ungaria, regnabat rex Pucentius, cuius populi dicti sunt Sychambrii. De quorum origine habetur supra libro tertio capitulo <<...>>. Item in regno Albanorum Ytalie regnabat Carpentis Silvius. In regno Iuda regnabat Iosaphath. In regno Israel regnabat Achab. In regno Britanie sive Anglie regnabat rex Mandan supradictus. In Gallia sive Franzia erant XII reges.

XXVIII. QUOD POPULUS DE MEDIOLANO ET POPULI SYCHAMBRII FUERUNT IDEM POPULUS

Regni David sive etatis quarte anno CX, mundi anno III^MVII, anno nativitatis Habraee MLX, post Troye destructionem CCLVI, ante Romam conditam CLXXXVI, post conditum Mediolanum ML, regnante in civitate Mediolani Iullio Insubre, secundum dicta Karini in Cronicis, civitas Mediolani erat super omnes Ytalie civitates florentissima, totius regni capud et corona. Isto tempore Pucentius rex Sychambriensium, qui de novo Panoniam id est Ungariam subiugaverat, ad subitiendum regnum Ytalicum totis viribus aspirare cepit. Unde cum universo populo et uxoribus et filiis et universa substantia et sublectuli cum intentione numquam revertendi per ora maris Venetiarum ingressus, primo civitatem Aquilegiensem superavit, totam Marchiam Trivisinam et Romandiolam subpeditavit, et versus civitatem Mediolanum suas dirigens aties ad fluvium Tycinum pervenit. Cui occurrit Iullius Insubris rex supradictus, et habito cum Pucentio rege pacis colloquio ait ad eum: «Ave mi frater, rex Pucentii. Tu enim ex Priamo Iuniore Troiano rege Sychambriensium natus es; et ego ex Enea Troyano rege Ytalie ortus fui». Et facta est coniuratio fortis, videlicet quod Siccham-

XXVIII – II. sublectuli, *recte suppellectili cum Ac Am*

briensium et Mediolanensium esset unus populus et una civitas et duo reges sub una corona. Et dicit Gothofredus Viterbiensis in libro qui dicitur Memoria Seculorum (qui habetur in monasteriis Sancti Ambroxii et Sancti Celsi) quod isti duo populi, scilicet Sychambrii et Mediolanenses, congregantes exercitum civitatem Brixianensem primo superaverunt, et omnes civitates Ligurie, id est Lombardie, ceperunt. Et finaliter montes Cumanos et civitatem Cumacinam, in insula Cumacina positam longe a civitate Cumana Nova que nunc existit per miliaria XVIII, optinuerunt, et totum illum lacum Laurinum ubi fiunt optime truite possiderunt. Et ut veritas istius ystorie clarius elucescat, verba ipsius Gothofredi episcopi Viterbiensis audiamus.

Tunc Mediolanos socios habuere Sychambrii,
viribus illorum suffulti pluribus annis,
tunc Brixianorum preripuerunt solum,
progenies Priami Ligurum capit undique plana.
Amodo montana satagunt captare Cumana,
qua valide truye vivere semper amant.

Quere supra libro tertio capi- // (f. 286v) -tulo LXXIII.

XXVIII. DE CIVITATE CUMACINA

Et quia hic fit mentio de civitate Cumacina, est sciendum quod est differentia inter civitatem Cumacinam et civitatem Cumanam, quia civitas Cumana est civitas nova, sed civitas Cumacina fuit civitas antiqua. Fuit enim posita in quadam insula in medio laci Cumani in distantia a civitate Cumana que nunc est XVI miliariorum vel XVIII. Et fuit murata in circuitu secundum insule capacitatem muris altissimis, habens in circuitu duo miliaria, sicut dicit Karinus in Cronicis; et fuit Aspandi regis Longobardorum spetiale presidium, sicut habetur in Ystoria Lombarda. Similiter ad hanc insulam confugit Cuniperdus rex Longobardorum. Et de istius civitatis Cumacine comendationibus scribit Cassiodorus Epistolarum ad Gaudosium cancellarium, videlicet quod

26. Cumacinam : Cumacinanam B 27. existit : existat B

est plane Lombardie quidam murus munitissimus, habet lacum clarissimum longitudinis LX miliariorum, ubi pisces optimi et turentine meliores mundi nascuntur, similiter agones id est aletia optima, habet planities amenas, venationes animalium et mineras ferri. Unde merito dicitur Como, quia ibi est copia omnium bonorum. Ista autem civitas Cumacina fuit destructa anno Christi VII^C; postea fuit in modum non civitatis sed castri rehedificatum, et anno Domini MCLVIII iterum per Cumanos fuit destructum, sub tali conditione quod numquam rehedificaretur, sicut eius ruine testantur.

XXX. DE CIVITATE CUMANA, ET QUOD HABET FIGURAM CANCRI

Civitas autem Cumana fuit consructa tempore quo civitas Mediolanensis fuit per Brenonem Senogallensem rehedificata. Unde dicit Trochus Pompeius sive Iustinus eius abbreviator quod Galli Tuscis suis sedibus expulsis condiderunt Comum Pergamum et Brixiam et Mediolanum, id est renovaverunt sicut dicit Gothofredus Viterbiensis. Huic civitati beatus Ambrosius Mediolanensis archiepiscopus primum episcopum dedit anno Domini CCCXLVIII, et est ista civitas sub episcopo Cumano in temporalibus et spiritualibus subposita. Unde ille episcopus dicitur comes et habet gladii temporalis potestatem, sicut patet in privilegiis que habentur in archivis ecclesie illius. Et dicit Benzius in Cronicis quod archiepiscopus Anselmus de Pusterla ipsam civitatem funditus evertit anno Domini MCXXVII. Postea fuit rehedificata habens figuram cancri, quia burgus sive suburbium porte que dicitur Porta Turris est cauda istius cancri, alii duo burgi (scilicet de Vico et de Curigniolo) sunt duo brachia cancri, murus civitatis est corpus ipsius cancri. In ista fiunt lebedos de lapide qui portantur per totam Ytaliā. In hac Benzius Alexandrinus, notarius episcopi Leonis de Lambertengis ordinis Minorum, magnam scripsit cronicam a mundi principio usque ad tempora Henrici sexti, de cuius libris multa posui in hac mea cronica; cui gratias agere iustum est, licet ipse de meis // (f. 287r) cronicis quicquid dixit de Ytalie laudibus et antiquitate totum extraxerit nec gratias egit. Fuit

enim eius studium auctorum nomina subticere, ut ipse videretur quasi a se ipso antiquitates conscripsisse.

XXXI. DE LACU CUMANO SIVE LAURINO ET DE FLUVIO ABDUA

Lacus Cumanus dictus est lacus Laurinus eo quod lauris habundet. Unde in Ystoria Lumbarda dicitur quod Cuniperth rex Longombardorum, audito quod Alchis palatium suum quod erat in Tycino, id est Papia, invasisset, ipse ad insulam que est intra lacum Laurinum, non longe a civitate Como, confugit. Hunc locum efficit fluvius dictus Abdua, qui dicitur quia duobus fontibus aquisitus et ab Austro veniens faucibus apertis excipitur, et inter vastissimi laci undas decurrens proprium colorem et nomen non amittit. Gignit autem optimos pisses et precipue torentinas, ut dictum est. Hec ex dictis Cassiodori epistolarum et Benzii in Cronicis. De isto fluvio fit mentio supra libro primo capitulo <<...>>. Isto tempore, secundum Benzium in Cronicis, Smirna civitas sub Amanzonibus construitur, sed Ieronimus dicit quod fuit amplificata. Quere supra libro tertio capitulo CLXV.

XXXII. DE IORAM REGE YERUSALEM

Regni David sive etatis quarte anno CLXVII, ab exordio mundi anno III^M et LV, a condito Mediolano anno MVI, Ioram filius Iosaphath rex Ierusalem regnavit annis VIII. Hic duxit in uxorem Athaliam filiam Achab regis Israel et Iezabel regine; que patrum suorum peccata imitata virum suum induxit ut adoraret ydola et ut omnes suos interficeret. Eodem tempore in Samaria regnabat alter dictus Ioram, filius Achab et frater Ochozie.

Eodem tempore in regno Albanorum regnavit Agripa Silvius annis XL. Cepit autem regnare ante Christi nativitatem anno VIII^CXXIII, ante Romam conditam anno CLXXV, post Troye destructionem anno CCLXXIII, et genuit filium qui dictus est Remus sive Romulus. Isto tempore, secundum Benzium in Cronicis, Senezarib rex Syrie obsedit civitatem Samariam.

XXXI – 11. primo, *recte* tertio 13. sed : secundum B

XXXIII. DE OCHOZIA REGE IERUSALEM

Regni David sive etatis quarte anno CLXXXV, ab exordio mundi
 anno III^MLXIII, post conditum Mediolanum anno MXIII, Ochozias
 filius Ioram regnavit in Yerusalem anno uno. Hic ambulavit in viis
 5 Achab avi sui materni, et reliquit filium qui dictus est Ioas. Eius soror
 ex patre dicta est Iosaba uxor pontificis. Videns autem Athalia regina
 quod filius suus Ochozias mortuus esset, cogitavit velle regnare in
 Yerusalem: unde iussit interfici omne semen regium. Interfecti sunt
 omnes excepto Iohas, quem adhuc lactentem Iosaba soror Ochozie ex
 10 patre abscondit annis sex, et totidem annis Athalia regnavit in Ierusalem.
 Deinde sacer- // (f. 287v) -dotes et levite et centuriones interfecerunt
 Athalam, et Iosiam anno etatis sue VII inunxerunt in regem super
 Ierusalem. Matheus in Christi generatione nulla facit mentionem de isto
 Ochozia nec de duobus sequentibus.

XXXIII. DE AREMO SILVIO REGE YTALIE

Eodem tempore in regno Albanorum Ytalie regnabat Aremus Silvius
 annis XVIII; hunc Aremum vocat Tytuslivius Romulum. Ipse in loco
 ubi nunc est Roma inter montes Albanorum prescidium posuit. Cepit
 5 autem regnare ante Christi nativitatem anno VIII^CLXXV, ante Romam
 conditam CXXXV, post Troye destructionem anno CCCVIII, et flu-
 mine interiit. Et in ripa fluminis sepultus fuit sub ficu: unde illa arbor
 dicta fuit Ficus Ruminalis sive Romulea, ex regis nomine. Et genuit fi-
 lium qui dictus est Ancus Titius.

10 Ex hoc loco manifeste colligitur quod Romulus sive Aremus urbem
 que nunc dicitur Roma condidit, quod dicitur prescidium Albanorum.
 Et dicit Gothofredus Viterbiensis quod Aremus Silvius multa prelia ges-
 sit contra Saprenites et per totam Campaniam. Et dicit frater Iohannes
de Fontana quod intravit Ytaliam et transivit in Galiam, ubi civitatem
 15 construxit quam ex suo nomine Remis apellavit, ubi nunc reges Fran-
 chorum inunguntur olleo de celo per columbam delato.

XXXIII – 7. velle : vele B

XXXV. DE IULLIO REGE ET PUCENTIO REGE, AMBO REGES MEDIOLANENSIIUM

Eodem tempore in civitate Mediolani regnabant duo reges sub una corona, videlicet Iullius Insubris et Pucentius genere Sychambriensis. Et congregantes exercitum invaserunt civitatem Brisiensem, quam difficili prelio consumpserunt. Deinde omnes civitates Lygurie, id est plane Lombardie, optinuerunt et montes et insulas et castra subiugaverunt, sicut dicit Gothofredus Viterbiensis. Ex hiis concluditur quod civitas Mediolanensis sit antiquissima, eo quod ante Rome constructionem per annos fere CXL fuit tante potentie quod potuit totam Ytaliā delere. De hac materia habetur una quaestio disputata supra, libro tertio a capitulo LXX usque ad capitulum LXXX.

XXXVI. DE IOAS REGE IERUSALEM

Regni David sive etatis quarte anno CLXXXII, ab exordio mundi anno III^MLXX, post conditum Mediolanum anno MXX, Ioas etatis sue anno VII factus rex in Yerusalem regnavit annis XL. Hic templi ruinas reparari fecit, sed excelsa non abstulit.

Eodem tempore regnabat super Israel Iehu, postea Iohatan, postea Ioas: sub quo Heliseus mortuus est, qui suo contactu mortuum suscitavit. De isto Iohas nullam facit mentionem Matheus in Christi generatione.

Eo tempore Lygurgus claruit, qui Lacedemoniis iura composuit, de quo loquitur // (*f. 288r*) Iustinus libro tertio.

